



# Disputatio medica inauguralis de angina

<https://hdl.handle.net/1874/341849>

21

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
ANGINA,

QUAM  
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque Inclyta in Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Alma  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA honoribus, ac Privilegiis ritè, ac  
legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit.*

FREDERICUS van HOUTEN, Hornâ Westfrisus

*Ad diem 13. Decembris, hora locoque solitis.*



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lbc Lxxxvi.

DISPUTATIO MEDICA  
I. W. A. G. R. A. L. L. S.  
DEO,  
P. A. T. R. I. Æ,  
CONSANGUINEIS  
E T  
FAUTORIBUS.

*Theses hae Inaugurales*

D. D. D.

FREDERICUS van HOUTEN,

AUTH.



# PROOEMIUM.



*N*emo Mortalium (ut opinor) inficias ibit; hominem primorum nostrorum Parentum lapsu & peccato, non solum imagine Dei & aeternâ beatitudine fuisse oblatum, rerum etiam plurimis, imo innumerabilibus calamitatibus, miseriis, & deplorabilibus morbis obnoxium factum: sed veluti Deo omnipotenti & misericordi homini jam lapsu in Christo amissam imaginem divinam reddere visum fuit; ita etiam eidem summo numini placuit talia media miserrimo humano generi præscribere. quæ calamitates, miserias, & deplorabiles morbos dignoscere, mitigare & in totum tollere, apta forent; hæc media solum inveniri in arte medicâ certo certius est, atque ideo nullibi nisi in eâ quærenda, quoniam Deus non

amplius per miracula, ut olim, sed solum per ar-  
tem medicam, corpori humano, debilitato, &  
in vasto morborum Oceano luctuanti solatium adfer-  
re, imo in pristinam & optatam sanitatem re-  
ducere solet hæc & plura mihi ansam & ani-  
mum præbuere studio medico operam dare, quod  
studium ad rogam quoque usque in summo pretio  
habebo: sed cum eo res meæ redierint, ut prius-  
quam vitæ Academicæ valedicam & Medico-  
rum ordini adscribar, lemma quoddam è Medi-  
cinâ petitum chartæ mandare cogar, nullum mihi  
magis arrisit, quam Angina, quod si non pro me-  
rito, saltem pro viribus ac ingenii modulo brevi-  
ter expedire est animus.

DISPU-

FREDERICUS DEI HOUTEN

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
ANGINA.  
THESIS I.



T ut legitimum ordinem hâc in re servemus occupati erimus 1. circa Etymologiam nominis Anginæ, 2. ipsius anginæ definitionem. 3. divisionem, 4. differentias 5. causas, 6. diagnosin & prognosin; & denique 7. curationem.

I I.

Anginæ nomen originem duxit à latino verbo angi, quorundam autem opinione debet originem græco verbo ἀγγών laqueus, alii rursus aliunde petunt, sed hoc remittemus curiosis, & conferemus nos ad rem ipsam.

I I I.

Definitur autem hic affectus; quod sit faucium sive gutturis eorumque musculorum inflamatio, febre continuâ, & acutâ comitata, respiratione & deglutitione impeditâ.

I V

Dividitur porro in legitimam & spuriam, verum nos (ut breves simus) circa legitimam solum versabimur.

V.

Hujus itaque legitimæ Anginæ differentiam veteres Græci, nimis curiositati studentes, quadruplicem statuere; prima illa

## 6 DISPUTATIO MEDICA

differentia vocatur Cynanche, quæ omnium est periculosissima, hanc dicunt nomen & similitudinem sumpsisse à canibus, qui sæpissime hoc morbo arripiuntur; vel quia ægri hoc morbo laborantes instar canum fessorum, linguâ, ex ore exertâ, respirant, quia cum lingua elongatur, tum minus crassescit, & etiam aëri in asperam arteriam ingressuro non ita obstat, unde respiratio minore difficultate procedit: altera est paracynanche, in quâ externi laryngis muscoli cum parvo tumore sunt inflammati; in tertiâ sive synanche internus ad est tumor & inflammatio musculorum interiorum faucium; & denique quarta est parasynanche, in qua exteriores faucium muscoli cum rubore, tumore, & ardore afficiuntur.

### V I.

Hicce jam expositis par erit, ut videamus quæ causæ harum partium inflammationem producere valeant; eas itaque dividimus in causam continentem, proximam, antecedentem, & procatarticam.

### V I I.

Causa continens hujus morbi est sanguis propter lentorem suum in vasis stagnans, vel extravasatus, ideoque corrumpi incipiens, simulque, obturgescentiam, ibidem inflammationem excitans: & ex his non difficile erit omnia symptomata, de quibus in definitione mentionem fecimus, deducere, si modo animadvertemus, febres continuas posse originem habere à nimia & præter naturali turgescentiâ & effervescentiâ in sanguine existente: verum si jam ad respirationem, & deglutitionem impeditam oculos nostros convertamus, facile ab eâdem illâ causâ continente læsionem harum functionum deducere poterimus; nam, positâ causâ continente, ponitur effectus, sed effectus illius causæ continentis est inflammatio, posita autem inflammatione in partibus jam nominatis, oritur tumor, hinc partes vicinæ comprimuntur, compressæ angustantur, angusta-

tæ obstruuntur, sicque aëris & cibi transitus plus vel minus impeditur.

## V I I I.

Explicatâ causâ continente causa proxima indaganda est; Ea autem est sanguinis in partibus dictis stagnatio vel extravasatio; sanguis dicitur stagnare, quando particulæ ejus crassiores à subtilioribus non satis comminuuntur, sed glutinis instar lentescunt: sanguis dicitur extravasari, quando vasa vel eroduntur vel rumpuntur, his enim ruptis vel erosis, sanguis in partes vicinas effunditur, ibidemque corrumpitur, & denique inflammationem producit.

## I X.

Hanc causam proximam sequitur & antecedens; & hic rursus sanguis culpandus venit, nempe peccans qualitate vel quantitate imprimis vero quantitate uti in plethorâ, dum sanguis nimiam suam quantitate vasa sanguinea præter naturam distendit, & ita vasorum fibrillas dissecit, porro rumpere facit, & sic tandem sanguis in substantiam partium effunditur: qualitate dicitur sanguis peccare dum particulæ acidæ nimis exaltentur, ita ut cæteras particulas sanguinem constituentes. V.G. oleosas, aquosas, salinas, terreas, spirituosas exsuperent, hoc dum fit, sanguis contrahit majorem acrimoniam membranas vasorum sanguineorum vellicat, arrodit, exedit, & denique extravasationem causat: sed præter sanguinem, etiam vasâ sanguinea suum symbolum adducunt, quando sunt obstructa, compressa, vel in ipsâ partium illarum constitutione depravata, atque adeo sanguinis circulationem impediunt.

## X.

Hisce tribus causis explicatis, transeamus ad procatharticam, quæ est aër nimis frigidus, nebulosus, multis tenacibus particu-



## 8 DISPUTATIO MEDICA

ticulis inquinatus, qui sanguinem in crassat; vel halitibus multis acribus infectat, qui sanguinem acriorem reddere potest; pluviosa anni constitutio, ver & autumnus, quibus temporibus maxime anginam grassari, ipse testatur Divinus ille senex Hippocrates Aph. 16. sect. 3. cibus & potus facillime possunt causare anginam, si sunt nimis duri, crassi, viscosi tenaces tunc à fermento ventriculi non facile subiguntur, & partes non satis divelluntur, qualis tunc cibus, talis erit chylus, & qualis chylus talis foret sanguis; potus nimis frigidus, si assumatur ubi corpus valde incalescit, quia tunc sanguis in crassatur, coagulatur & in motu suo sistitur; è contrario si potus nimis calidus & spirituosus est, qualis est spiritus vini vel similia nimis generosiorum potuum usus immodicus; etiam somnus si nimis sit immoderatus, aut in loco minus salubri, veluti sub dio, locoque nimis frigido; vigiliæ etiam non minus hic culpandæ veniunt si modum valde excedunt; corporis exercitia nimia, ejusque motus validiores, ut sunt clamores, vociferationes, tubarum inflationes, cantus & similia: è contrario quies nimia, vita nimis sedentaria, atque otiosa: etiam, venena possunt causare anginam; plethora & excretiones quedam suppressæ ut hæmorrhoidum, menstruorum & sic porro; huc accedunt nimia & reiterata sanguinis ob venæsectionem institutam evacuationes, diarrhæa nimia, dysenteria, similiaque alia; denique animi pathemata non parum in culpa esse possunt, qualia sunt mœror, luctus, cura, tristitia, ira: quandoquidem ab his tum motus humorum tum sanguinis magis vel minus imminui atque immutari potest.

## X I.

Causis, explicatis, conferam me ad signa, quæ sunt aut diagnostica sive morbum hunc præsentem indicantia, aut Prognostica, sive morbi hujus eventum prædicentia.

## XII. An-

## XII.

Anginæ signa diagnostica patescunt ex illius pathognomonicis, respirandi nimirum & deglutiendi difficultate, absque tamen aliquâ thoracis læsione, vel pulmonum vitio, præterea circa fauces & guttur dolor percipitur; febris continua ad est, rubor faciei, vocis languor; aliquando suffocationis periculo concomitatur, tumor, calor & ardor in faucibus summus, in linguâ, & sic porro.

## XIII.

Quoad prognosin: fatemur hunc morbum esse acutum, periculosum, & valde ancipitem juxta Hippocratis effatum, cum inquit; in morbis acutis nullas omnino certas esse prædictiones, neque salutis, neque etiam mortis Aph. 19. sect. 2. Ratione autem quadruplicis istius differentie, thesi quintâ enarratæ angina, alia minus periculosa est: saltem illam, quam cyananchen vocant, omnium periculosissimam estimamus, quandoquidem in illâ maximè respiratio læditur, in hac affecti & inflammati sunt muscoli interni laryngis, à quibus aspera arteria facile obstruitur imo etiam præcluditur, ita ut aër in inspiratione & expiratione transire nequeat; unde & recte possumus concludere, vitæ periculum hic imminere. Paracyanche autem non plane sine periculo est, sed tamen minus lethalis est quam cyananche; ea propter, quia musculorum externorum laryngis inflammatio tam subitam & periculosam obstructionem non potest producere. Tertia synanche multo levior prioribus, sic quoque multa minus periculosa est; quia hic minus respiratio, quam deglutitio læditur, originem suam duxit ab inflammatione musculorum internorum faucium. Parasyanche quarta differentiarum species est omnium levissima (non tamen levem anginam, nisi diverso respectu, propter symptomatum gravitatem, novimus) quoniam inflammatio longius à gutture & faucibus ab est, & extorsum tumet, atque ideo minus periculose

10 DISPUTATIO MEDICA

culosè juxta Hippocratis effatum ; nempe cum dicit , securis-  
simum vero , si tumor vel rubor quam maxime foras vertatur  
Aphor. 37. Sect. 6.

XIV.

His jam absolutis tantum restat ut nos ad curationem accin-  
gamus , quæ sequenti modo legitime instituat. Medicus  
quam primum ad ægrum anginâ correptum vocatus fuerit ,  
quacunq; diei horâ , ob imminens periculum venam secare  
jubeat , & illa pro necessitate aliquoties reiteranda est , præ-  
sertim si æger sit plethoricus : Dein conveniens clyster. v. S.  
præmissus V. G.

ꝛ. Decoct. emollient & flat.

Discutient. ꝛvij.

elect. diacathol. ꝛij.

ol. violac. ꝛj.

sal gemm. ꝛij. vel ꝛj.

M. F. Clyster.

XV.

Ut autem sanguis stagnans temperetur , resolvatur , & di-  
scutiatur Medicamenta possunt adhiberi , quæ incidendi , re-  
solvendi & discutiendi vim habent ; V. G. lignum sassafras,  
stercus equinum recens , Syr. de succo taraxici , cichorei sp.  
sal. armoniaci , sal. armonicum , aqua carduis , petroselini,  
theriacalis simpl. herb. menthæ , majoranæ , ruthæ , althææ,  
melissæ , ol. majoranæ , fœniculi , & plura alia , quæ hic legi-  
time adhiberi possunt.

XVI.

Possunt etiam gargarismata & eclegmata in usum proferri quæ  
confici possunt ex ; caprifol. rob. de ribes. samb. sem. levist.  
flor. rosar. mel. rosar. aqu. theriacal. simpl. syr. diamor. sal.  
prunell. sp. nitri dulcis & sic porro.

XVII. Ad.

XVII.

Adhęc externa nonnunquam magnam utilitatem adferre valent, vid. cataplasmata, vel linimenta, vel focus, vel similia, V. G.

℞. Rad. altheę  
 lilior. albor. an. ℥jss. herbę malvę, altheę a. m. j.  
 nidor. hirund. No. j.  
 ficuum  
 dactil. aa. No. iv.  
 alb. gręc. ℥ss.  
 capar. ℥vj.  
 coqu. in cerevisia. tenui ad mollitiem, dein contusis  
 adde  
 far. tritici  
 fem. lini aa. ℥j.  
 fęnugr. alt. aa. ℥ij.  
 vitell. ovor. No. ij.  
 M. F. Cataplasma.

XVIII.

Ad causas antecedentes tollendas, symptomata pręsentia mitiganda, futuraque pręvenienda maxime juvant omnisque generis diaphoretica, inter hęc potissimum sunt salia volatilia, salia fixa, ossa animantium, sal cranii humani, sal cornu cervi, sal eboris, oculi cancri, antim. diaphoret. bezoard. minerale, regul. antim. medicinalis; mithrid. theriaca veneta, elect. diascord. fracast. cęteraque plura.

XIX.

Hęc sunt quę breviter circa hunc affectum in medium proferre volui, & idcirco, quia ab omnibus fere authoribus hic affectus satis prolixę tractatur, hisce finem imponam.

# COROLLARIA.

I.

**H**umores à capite ad pectoris cavita-  
tem descendere nequeunt.

II.

Nulli vapores à ventriculo ad caput ad-  
scendere possunt.

III.

In apoplexiâ (sanguineâ exceptâ) vena se-  
ctionem damnamus.

IV.

Clysteres nutrientes existere rationi consen-  
taneum est.

V.

Diaphoretica fere semper in febribus con-  
ducunt, modo debito tempore usur-  
pentur.

F I N I S.